

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project

(<https://compendium-project.wlu.ca>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 5, Liber 4: De morali consideratione vite et mortis

Commented [c1]: fol.143ra

De laboriositate et vanitate vite: Rubrica i

Iob capitulo 5. Homo ad laborem nascitur. Capitulo 7. Militia est vita hominis super terram: et sicut dies mercenarii dies eius. 8. capitulo. Sicut vmbra dies nostri sunt super terram. 13. capitulo. Homo natus de muliere: breui viuens tempore: repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur et conteritur: et fugit velut vmbra et nunquam in eodem statu permanet.

In genesi capitulo 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es: et in puluerem reuerteris.

Paralypomenon libro i. capitulo 28. et penultimo. Dies nostri quasi vmbra super terram: et nulla est mora.

Psalmistia 38. psalmo. Universa vanitas omnis homo viuens.

Salomon in ecclesiastice capitulo i. Qui addit scientiam addit et laborem. 2. capitulo. Ait salomon: cum me conuertissem ad vniuersa opera que fecerunt manus mee et ad labores in quibus frustra sudaueram: vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi: et nihil permanere sub sole. Ait salomon. Moritur doctus vt indoctus similiter: et idcirco teduit me vite mee: videntem mala esse vniuersa sub sole: et cuncta vanitatem atque afflictionem spiritus. Cuncti dies hominis doloribus et erumnis pleni sunt: nec per noctem mente requiescet. 3. capitulo. Cuncta scilicet animalia subiacent vanitati: et omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt: et in terram pariter reuertuntur. 5. capitulo. Sicut egressus est homo nudus de vtero matris sue: sic reuertetur: et nihil auferet de labore suo.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 40. Occupatio magna creata est omnibus: et iugum graue super filios adam: a die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulture in matrem omnium id est in terram.

Commented [c2]: fol.143rb

Quintilianus declamationum 5. declamatione. In hac asperrima conditione fragilitatis humane nemo pene mortalium impune viuuit.

Seneca tragediarum in hyppolito capitulo 9. O vita fallax: abditos sensus geris. / Animisque pulchram turpibus faciem induis. In hercule etheo. capitulo 8. Mors sola portus dabitur erumnis. Idem de consolatione ad marciam. Plena et infesta variis casibus vita est: a quibus nulla longa pax: vix inducie sunt. Nihil tam fallax vt vita humana: nihil tam insidiosum. Idem de consolatione ad paulinum. Omnis vita supplicium est. Idem de remediis fortuitorum capitulo 2.

Peregrinatio est vita hec: cum multum ambulaueris demum redeundum est. 21. capitulo et finali. Mors exilium luctus dolor non sunt supplicia: sed tributa viuendi. Neminem illesum fata transmutant.

Maximianus. Iam nihil est totum quod viximus: omnia secum Tempus preteriens horaque summa trahit.

Prosper sub 82. emp. Instant terrenis infesta pericula rebus. Feruent pro damnis prelia perque tueris. Et nihil est inter carnalia vota quietum. Nec pax sollicitis: nec modus est cupidis.

Isidorus solliloquiorum libro i. capitulo 4. Uita ista lachrymis plena est. Uita ista a fletibus inchoat. Flentes proicimur miseram in hanc vitam.

Bernardus libro de improbatione viciorum capitulo 9. et finali. Omnia que cernis vanarum gaudia rerum. Umbra velut tenuis veloci fine recedunt.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 40. Est hac valle grauis cursus via lubrica: iugis / Anxietas: tempus mobile: vita breuis. Capitulo 65. Est hec vita breuis lubrica pena dolor.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Quid valet argentum: quid annis viuere centum. Post miserum funus puluis et vmbra sumus.

#### De vite breuitate et quantitate: Rubrica 2

Commented [c3]: fol.143va

Iob hystoria capitulo 8. Sicut vmbra sunt dies nostri super terram. capitulo 13. Homo est breui viuens tempore. 14. capitulo. Breues sunt dies hominis.

In genesi capitulo 6. Dixit deus. Erunt dies hominis centumuiginti annorum.

Paralpomenon libro i. capitulo 28. et penultimo. Dies nostri quasi vmbra super terram et nulla est mora.

Psalmista 89. psalmo. Anni nostri sicut aranea meditantur. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis. si autem in potentatibus. octuaginta anni. et amplius eorum labor et dolor. 175. psalmo. Dies hominis sicut vmbra pretereunt.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 18. Numerus dierum hominum vt multum centum anni quasi gutte que amare deputatus est.

Tullius in oratione pro marco marcello. Quid est hoc ipsum diu in quo est aliquid extremum: quod cum venerit omnis voluptas preterita pro nihilo est: quia postea nulla est futura.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 6. epistola 7. et finali. Punctum est quod viuimus: et adhuc puncto minus. Idem de consolatione ad marciam. Omnia humana breuia et caduca sunt: et infiniti temporis nullam partem occupantia.

Lucanus libro 4. Consulite extremis angusto in tempore rebus.

Cato capitulo 5. et finali. Tempora longa tibi noli promittere vite. Quocunque ingrederis sequitur mors corporis vmbra.

Bernardus in libro contemptus mundi. Vita breuis: velut vmbra leuis: sic annihilatur. Sic vadit subitoque cadit distare putatur. Idem de improbatione viciorum capitulo 9. et finali. Omnia que cernis vanarum gaudia rerum. Umbra velut tenuis veloci fine recedunt.

#### De mortis naturalitate: Rubrica 3

Iob historia capitulo 38. Deficiet omnis caro simul et homo in cinerem reuertetur.

In genesi capitulo 6. Dixit deus: non **permanebit** spiritus meus in homine in eternum: quia caro est.

Commented [c4]: fol.143vb

Salomon in ecclesiastice capitulo 2. Moritur doctus similiter vt indoctus. 3. capitulo. Omnia tempus habent: et suis spaciis transeunt vniuersa sub sole. 9. capitulo. Nemo est qui semper viuat.

Regum libro 2. capitulo 14. Omnes morimur: et quasi aqua dilabimur in terram que non reuertuntur.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 40. Omnia que de terra sunt in terram conuertentur. 41. capitulo. Iudicium mortis a domino omni carni.

Salustius in iugurtino. Omnia orta occidunt. et ansea senescunt.

Oratius in odis libro 2. capitulo 18. Heu fugaces postume: postume / Labuntur anni: nec pietas moram / Rugi et instanti senectae / Affert indomiteque morti. Idem in epodo libro i. capitulo 16. et penultimo. Urget diem nox: et dies noctem. Idem in poetria. Debemur morti nos nostraque. / Mortalia facta peribunt. / Nedum sermonum: sed honos et gratia viuax. Idem epistolarum libro i. epistola 17. Mors vltima linea est rerum. Libro 2. epistola 3. et finali. Singula de nobis anni predantur euntes.

Pylon vel phylemon in libro sapientie capitulo 7. Unus ex omnibus introitus ad vitam: et similis exitus.

Ouidius de tristibus libro 3. epistola 4. Singula ne referam nil non mortale tenemus. / Pectoris exceptis ingenique bonis.

Quintilianus declamationum libro i. declamatione 3. Omnis nos hora per tacitos fallentesque cursus applicat fato: et in turpissimo perpetuitatis cogitatione destructi per exigua festinantis eui momenta premorimur.

Paulus apostolus in epistola ad hebreos capitulo 9. Statutum est omnibus semel mori.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 7. Prima que vitam / Dedit hora carpsit. In troade capitulo 5. Tempus nos avidum deuorat. Idem epistolarum ad lucillum libro 4. epistola 3. Quotidie morimur: quotidie enim demittitur aliqua pars vite. Et tunc quoque cum crescimus vita decrescit. Ultima hora qua esse desinimus non sola mortem facit: sed sola consummat. Libro 15. epistola 4. Omnia mortalium opera mortali a te damnata sunt. Libro 20. et finali epistola 3. Quotidie propius ab ultimo stamus: et illo unde nobis cadendum est hora nos omnis impellit. 6. capitulo. Fluunt dies et irreparabilis vita decurrit. Seneca de remediis fortuitorum capitulo i. Mors omnia abscedit. Mors omnia deuorat. 2. capitulo. Peregrinatio est vita hec: cum multum ambulaueris demum redeundum est. Quod ceperit desinit. 5. capitulo. Adolescentes et impuberes eadem fati necessitas ducit. 16. capitulo. Non est idem ordo fati quod et etatis.

Lucanus libro 7. Capit omnia telus / Que genuit.

Maximianus. Ortus cuncta suos repetunt matremque requirunt. Et redit ad nihilum quod fuit ante nihil. Omnibus est eadem leti via non tamen vnus Est vite cunctis exitique modus. Huc puer atque senex pariter iuuenesque feruntur. Hic par diuitibus pauper egenus erit.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 14. Mors spernit altam gloriam: Inuoluit humilem pariter et celsum caput: equatque summis infima.

Isidorus solliloquiorum libro i. capitulo 10. Quotidie dies vltimus appropinquat. Vitam nostram quotidie dies aufert: Quotidie ad finem tendimus. Ad morte quotidie properamus.

Bernardus in libro contemptus mundi. Mors resecat mors omne necat quod carne creatur. Magnificos premit et modicos cunctis dominatur. Nobilium tenet impium: nulli reueretur. Tam ducibus quam principibus communis habetur. Mors iuuenes rapit atque senes nulli miseretur. Sed quid plura loquar: nulli mors impia parcit. Non euadit inops nec qui marsuipa facit. Non igitur cesses que bona sunt operari. Nam mors non cessat tibi nocte dieque minari.

Commented [c5]: fol.144rb

Prouerbia vulgaria. Cossi more el gran signore cum fa olauora ore.

#### De certitudine hore mortis et multiplicitate occasionis mortis: Rubrica 4

Salomon in ecclesiaste capitulo 9. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo: et sicut aues comprehenduntur laqueo: sic capiuntur homines in tempore malo cum eis ex templo superuenerit.

Oratius in odis libro 2. capitulo 6. Quis scit an adiciatque hodiernae crastinae vite / Tempora: dii superi.

Seneca tragediarum in thebayde capitulo i. Ubique mors est. / Eripere vitam nemo non homini potest. / At nemo mortem: nulle ad hanc aditus patent. Idem epistolarum ad lucillum libro 4. epistola 5. Incertum est quo te mors expectet. Itaque tu illam omni loco expecta. Idem declamationum libro 7. capitulo i. Multas rerum natura mortis vias aperuit.

Lucanus libro 3. Mille modis inter leti mors vna timeri est.

Statius thebaydos libro 6. Manet ingens copia leti.

Prosper sub vltimo capitulo. Ferro: peste: fame: vinculis: algore: calore. Mille modis miseros mors rapit vna homines.

Cato capitulo 5. et finali. Tempora longa tibi noli promittere vite. Quocumque ingrederis sequitur mors corporis vmbra.

Isidorus solliloquiorum libro i. capitulo 10. Quanti dum mori non existimant auferuntur. Quanti ad mortem subito rapiuntur.

#### De meditatione mortis et vite: Rubrica 5

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 7. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua: et in eternum non peccabis. 4. capitulo. Memento nouissimorum: et desine inimicari: tabitudo enim et mors imminet in mandatis. 41. capitulo. O mors quam amara est memoria tua homini iniusto et pacem habenti in substantiis suis: viro quieto: et cuius vie directe sunt in omnibus et adhuc valenti accipere cibum.

Tullius de senectute. Nemo est tam senex qui se annum non putet posse viuere.

Persius satyra 5. Uiuere memor leti: fugit hora.

Quintilianus declamationum 3. declamatione. In turpissima perpetuitatis cogitatione dstricti per exigua festinantis eui momenta premorimur.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo 3. Nulli potest secura vita contingere qui producenda nimis cogitat. Libro 19. epistola 8. Nihil eque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum quam frequens cogitatio breuis eui: et huius incerti: quicquid facies respice ad mortem. Idem de consolatione ad marciam. In hoc omnes errore versamur vt non putemus ad mortem nisi senes inclinatosque iam vergere.

Hieronymus in prologo principii bible ad finem. Facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum.

Commented [c6]: fol.144va

#### De mortis horribilitate: Rubrica 6

Isaias propheta capitulo 18. Concidet cadauer tuum: subtus te sternetur tineae: et operimentum tuum erunt vermes. 50. capitulo. Omnes quasi vestimentum conterentur: tineaeque comedet eos.

Aristoteles ethicorum libro 3. capitulo 7. Terribilissimum est mors.

Oratius in odis libro 2. capitulo 56. Puluis et vmbra sumus.

Quintilianus declamationum 5. declamatione. O quam graue est mori.

Seneca tragediarum in hyppolito capitulo 9. O vita fallax: abditos sensus geris. / Animisque pulchram turpibus faciem induis.

#### Quid mors non sit metuenda: Rubrica 7

Cronica de nugis philosophorum capitulo 15. scilicet de anaxagora. Anaxagoras ad anxiantem quod in terra extranea moreretur: vndique inquit similis est descensus ad inferos.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 41. Noli metuere iudicium mortis.

Tullius tusculanarum questionum libro i. in fine. Teneamus vt nihil censeamus esse malum quod sit a natura datum omnibus. Libro 2. Qui id quod vitari non potest metuit: is viuere animo quieto nullo modo potest. Qui mortem non timet magnum is presidium sibi ad beatam vitam comparat.

Quidius epistolarum 10. epistola. Occurrunt animo pereundi mille figure. / Morsque minus pene quam mora mortis habet.

Quintilianus declamationum 3. declamatione. Quisquis honestis operatus artibus sciat quis finis que vera felicitas: nunquam sibi videbitur prematura morte periturus. Lucis causas ad animum mentemque referentium neminem quotidie vita non saciat. Illa existimemus propter que fatigamus votis deos propter que breuem querimus etatem. Nempe sunt vanitas: cupido: luxuria: libido. Non pudet propter hec ferre debilitates luctus spacia morborum: et cum liceat euadere male pati. Finge tibi velut ipsam proclamare naturam. Receptus es in hoc pulcherrimum mundi rerumque consortium: et per succedentium vices in ordinem mortalitatis natus. bona nostra vidisti: admite posteros: cede venientibus. Nescis te quanto diutius vixeris: tanto magis impatientiam parare: quantumlibet prorogentur tempora iungantur etates. Non potest non exitu perire miseri qui moritur inuitus. Omnis nos hora per tacitos fallentesque cursus applicat fato: et in hac turpissima perpetuitatis cogitatione dstricti: per exigua festinantis eui momenta premorimur. Faciamus potius de fine remedium et de necessitate solatium. Exceamus sponte:

Commented [c7]: fol.144vb

consilio pleni: securitatis gratias agentes. Solus vixit quo aduoluit qui mori via vult. Infirmi prorsus tenereque mentis est vt numeretis annos.

**Seneca** epistolarum ad lucillum libro 5. capitulo i. Vita cum expectatione mortis data est: ad hanc itur. Quam ideo timere dementis est: quia certa expectantur: dubia metuuntur. Puto fortiozem esse qui in ipsa morte est quam qui contra mortem. Mors enim admota etiam imperitis animum dedit non vitandi ineuitabilia. Libro 7. epistola 8. Bene mori est libenter mori. Libro 20. et finali epistola 4. Nullum animal ad vitam prodit sine motu mortis. Idem declamationum libro 3. capitulo 5. Crudelius est quam mori semper mortem timere. Idem de remediis fortuitorum capitulo i. Omnium que horremus exitus spectat ad mortem. 2. capitulo. Mors est hominis natura non pena. Stultum est timere quod vitare non possis. 4. capitulo. Undecumque ad inferos vna via est. Nulla est aliena patria mortuo. 21. capitulo et finali. Mors exilium luctus dolor non sunt supplicia: sed tributa viuendi.

Commented [c8]: fol.145ra

Lucanus libro 8. Mors vltima pena est. Nec metuenda viris.

Plinius de naturali hystoria libro 7. capitulo 54. Natura nihil hominibus breuitate vite prestitit melius: hebescunt sensus: membra torquentur: premoritur visus: auditus: incessus: dentes etiam ad ciborum instrumenta. Et tamen vite hoc tempus adnumeratur.

Iuuenalis libro 4. satyra i. Frontem posce animum mortis terrore carentem.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Mortis pale timor tibi vite commoda tollit. Nam moreris viuens dum metuendo peris. Inter nature ponas si munera mortem: Te de morte metus sollicitare nequit.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 3. Magnum animi bonum est non tremere: sed constare sibi: et finem huius vite intrepidus expectare.

Cato capitulo 2. Qui metuit mortem quod viuuit perdit id ipsum. Lingue metum leti: nam stultum est tempore in omni Dum mortem metuas amittere gaudia vite. Capitulo 4. Fac tibi pro penis mortem non esse timendam. Que bona si non est finis tamen illa malorum est.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 7. Continuus timor non sinit esse felicem.

De turpi et mala vita spernenda et mortis acceptabilitate: Rubrica 8

**Psalmista** 33. psalmo. Mors peccatorum pessima.

Commented [c9]: fol.145rb

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 30. Melius est mors quam vita amara. 40. capitulo. melius est mori quam indigere. 41. O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti: et qui minoratur viribus defecto etate.

Tullius phylippicorum libro 3. Ad decus: et libertatem nati sumus: aut hec teneamus: aut cum dignitate moriamur.

Quintilianus declamationum declamatione 3. Inter luctus et desperationes feda viuacitate duramus.

Seneca tragediarum in hercule etheo capitulo 2. Mortis habet vices: Lente cum trahitur vita gemitibus. Idem epistolarum ad lucillum libro 9. epistola i. Non viuere bonus est: sed bene viuere.

Boetius de consolatione libro i. capitulo i. Mors hominum felix que se nec dulcibus annis Inserit: et mestis sepe vocata venit.

Isydorus solliloquiorum libro i. capitulo i. Mors malorum omnium finem imponit. Mors calamitatis terminum prebet. Omnem calamitatem mors adimit. Melius est bene mori quam male viuere. Melius est non esse quam infeliciter esse.

#### De vita fruenda: Rubrica 9

Tullius tusculanarum questionum libro i. Uetat dominans in nobis deus in iussu hic nos suo demigrare.

Ouidius de tristibus libro 4. epistola 3. Utere temporibus quorum nunc munere freta es.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 2. Dum facta sinunt Uiuite leti: properat cursu Uita citato: volucrique die Rota precipitis vertitur anni. In hyppolito capitulo 5. Etate frueri: mobili cursu fugit. Capitulo 7. Dum licet vttere: Tempus te tacitum subruit. Idem in epistolis ad lucillum libro 16. epistola 3. et finali. Uita sine proposito vaga est. Idem de breuitate vite: Precipitat quisque vitam suam: et futuri desiderio laborat presentium tedio. Maximum viuendi impedimentum est expectato que pendet ex crastino. Cum celeritate temporis vtendi celeritate certandum est: et velut ex torrenti rapido cito hauriendum est.

Commented [c10]: fol.145va

#### De laudabiliter morientibus et laudabili mortuorum: Rubrica 10

Tobie capitulo 2. Hoc pro certo habet omnis qui colit deum quoniam vita eius si in probatione fuerit coronabitur.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. in fine. Mori quidem in omnes promulgauit fortuna: bene autem mori proprie natura virtuosus attribuit.

Uirgilius eneide libro 10. circa medium. Stat sua cuique dies breue et irreparabile tempus Omnibus est vite: sed famam extendere factis: Hoc virtutis opus.



Tullius phylippicorum libro 13. et finali. Brevis a natura nobis vita data est: at memoria bene redite vite sempiterna. Idem in oratione pro marco marcello: Nec hec tua vita dicenda est que corpore et spiritu continetur: illa inquam vita est tua que vigebit memoria seculorum omnium: quam posteritas alet: quam ipsa eternitas semper tuebitur huic tu inseruias: huic te obstentes oportet.

Libro sapientie capitulo 5. Iusti in perpetuum viuent: et apud dominum est merces eorum.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Beati mundo corde: quoniam ipsi deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum celorum.

Marcus in euangelio capitulo 10. Paruulorum est regnum dei.

Iohannes in appoclypsi capitulo 10. Beati mortui qui in domino moriuntur.

Lex institutionum titulo de excusatione tuto 6. iii. Qui pro re publica ceciderunt: in perpetum per gloriam viuere intelliguntur.

Commented [c11]: fol.145vb

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Tarde vel subito vita recedere nil est. Si bene decedas pindare non nihil est.

Augustinus in epigrammatibus prosperi 50. emp. Mala mors putanda non est: quam bona vita precesserit.

Cato capitulo 5. Felices obeunt quorum sine crimine vita est.

Bernardus libro de improbatione viciorum capitulo 9. et finali. Id solum temet post mortem factum heabit: Quod bene quod iuste quod recte feceris ipse.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 66. et antepenultimo. Iustus obit nec obit: sed abit ab hospite migrans Carne: petit patriam delitiasque patris.

#### De sepultura: Rubrica 11

Quintilianus declamationum 5. declamatione. Ad operiendum feditatem subtrahendamque dolori materiam mortui viuientium causa sepeliuntur.

Seneca tragediarum de remediis fortuitorum capitulo 4. Nulla est aliena patria mortuo. Capitulo 6. Si nihil sentio non pertinet ad me iactura corporis insepulti. Si sentio hominis sepultura tormentum est. Non defunctorum causa: sed viuorum inuenta est sepultura: vt corpora et visu et odore feda amouerentur.

Explicit compendium moralium notabilium compositum per Hieremiam iudicem de montagnone  
cuiem paduanum.